

Gay, Alexandre - candidat / Gallée,
Pierre-François - président. - An
plurimis in morbis, praestantissimum
sit chirurgiae subsidium,
bronchotomia

1789.

*Paris : Ex-Typis Clousier, Regis
et Regii Chirurgiae Collegii,
Typographi, viâ Sorbonae,
Cote : ms 2346, n°29*

AN PLURIMIS IN MORBIS,
PRÆSTANTISSIMUM SIT CHIRURGIÆ SUBSIDIUM,
BRONCHOTOMIA.

DISSERTATIO
ANATOMICO-CHIRURGICA,


Die Lunæ, 14^a Septembris anno R. S. H. 1789, à
sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.

DISCUTIENDA.
PARISIIS,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.
PRO ACTU PUBLICO,
ET MAGISTERII LAUREA.



Ex Typis CLOUSIER, Regis & Regii Chirurgiæ Collegii, Typographi,
viâ Sorbonæ.

M. DCC. LXXXIX.



AN PLURIMIS IN MORBIS,
PRAESTANTISSIMUM SIT CHIRURGIAE SUBSIDIUM,
BRONCHOTOMIA
CELEBERRIMO VIRO
CHIRURGIAE MAGISTRO PERITISSIMO
D... CLAUDIO PIPELET

NATU MAJORI,
ACADEMIAE REGIAE CHIRURGIAE CONSILIARIO ET NUPER DIRECTORE;

NEC NON IN REGIAE FAMILIAE PRAEPOSITURA CHIRURGO.

*Has suorum laborum primitias in perpetuum venerantis & grati animi
monumentum*

DICAT, VOVET, CONSECRAT

A. L. GAY, Chirurgiae Candidatus.



Ex Typis CLOUSIER, Regis & Regiae Chirurgiae Collegii, Typographi,
vii. Sochons.

M. DCC. LXXXIX.



DISSERTATIO

DE

BRONCHOTOMIA

INTER se adèd consentiunt vitales functiones ut mutuam sibi opitulentur opem, & ex illis una dum patitur vel aboletur, malè peranguntur vel cessant omnes : non mirum igitur si graviter læsa respiratione periclitetur vita; talis est tamen hujus-ce functionis cum objectis externis relatio, ut singulis existentia momentis millè modis vitari possit; maximi igitur est momenti varias causas liberum respirationis exercitium impediens ut præcaveantur tollantur ve, cognoscere, eas verò singulatim non exponemus, de præcipuis enim obstaculis facili aeris ingressui in pulmones obstantibus & de bronchotomia seu fistulæ pulmonalis incisionis, utilitate, ad illa sublevanda, tantummodò nobis differendum incumbit; antequam autem ad particularia deveniamus & ad promptiorem rationum nostrarum conceptionem, structuram anatomicam partium breviter & duntaxat

A

quantum ad nostrum hoc propositum pertinet, ad memoriam revocare supervacuum non erit.

ASPERA arteria ductus est Cartilagineus & membranaceus ante vertebrae cervicales & oesophagum positus, ab inferiori parte laryngis ad pulmones protensus, superne unicus, inferne vero prope secundam dorsi vertebrae in duos dividitur ramos, bronchiorum nomine donatos, quorum uterque se ad pulmonem sui lateris confert, & alterius generis vasorum socius, omnes hujus visceris partes plurimis percurrit subdivisionibus.

CIRCELLI Cartilaginei anterius convexi, mediante membrana elastica inter se uniti, asperam arteriam antrosum efformant, fibrae musculares transversim dispositae, extremitatibus cartilagineum adherentes, eandem retrorsum constituunt.

IN bronchiis eadem reperitur structura, nisi ultimae illarum distributiones, evidenter membranaceae, excipiantur.

CAVEA Cartilaginea, asperae arteriae cujus est principium inferne ligata, pharyngi superne respondens, larynx dicitur: quinque instituitur cartilaginibus, quarum major thyroidea denominata anteriorem & superiorem partem facit, altera Cricoides nomine designatur & basim efformat, duae arytenoideae vocatae retrorsum supra cricoideam locantur, ultima tandem est epiglottis, retrorsum cava, antrosum convexa, thyroideae cartilagini, linguae, ossi laryngis, annexa, aditum laryngis superiorem claudit.

Haec cartilagineae variis ligamentis inter se cum mobilitate neuntur, ex his duo paria notanda maxime veniunt quae interius a cartilaginibus arytenoideis in thyroideae faciem posteriorem extenduntur, inter haec duo ex utraque parte spatium oblongum existit quod laryngis ventriculum vocant. Rima elliptica epiglottide aperta quam glottidem dixerunt, a dextris lava se jungit.

GLANDULA ex plurimis acinis composita quae thyroidea nuncupatur, muscoli sterni hyodei, omoplato hyodei, crico-

thyroidei, laryngei, his cartilaginibus & fistulæ pulmonali anteriori & lateraliter insident.

VASA sanguifera has partes irrorantia, a thyroideis, bronchialibus, nervi ab octavo parte & intercostali oriuntur.

CANALIS maximè dilatabilis, variis tunicis fibrisque muscularibus compositus, a pharynge ad ventriculum extensus obliquè, œsophagi nomen habet. Parte suâ anteriori trachæ arteriæ & intervallo posteriori utriusque pleuræ, posticâ vero cervicalibus primisque dorsalibus vertebrais, respondet.

VASA sanguinea multa sunt, a thyroideis, bronchialibus, pericardinis, aortæ trunco, coronaria ventriculi, veniunt.

NERVOS octavum par generat.

Hæc de anatomia satis sunt ut ex dictis clarè pateat plurimis in casibus transitum naturalem aeris per glottidem, impediri posse, sit in exemplum enim verò angina inflammatoria in laryngem vi irruens, in hac velum palati mobile, uvula, tonsillæ membrana laryngis interna & partes ambientes eodem argentur morbo, quem perpetuum salivæ stillicidium comitatur, tunc glottis ponè linguam, quam ægri quandoque instar canum exerunt, in faucibus anteriori sita non liberè patescit, vox sibilans evadit, dolor est acerbus ac lancinans, difficilè inspirat & deglutit æger, potus ad nares regurgitat, febris ardet; ad venæ sectiones & varii generis topica recurritur, purgantibus, enematibusque subdicitur alvus, subacida propinantur, diætæ rei accommodata præscribitur, hirudinum vesicantium & cucurbitularum applicatione tentatur derivatio mali, sed frustra! non remittuntur, sed potius ingravescunt accidentia, respiratio frequens & parva summo cum molimine peragitur, indè sanguinis per pulmones circulatio difficilis, pessimaque illius necessaria consecutaria: aeris beneficio orbatus æger, imminet suffocatio ineluctabilis, & de illo conclammatum est, nisi salutari ferro prudenter armata Chirurgi manus, promptam afferat opem, factitiam descensui aeris in pulmones, bronchotomiâ parando viam, donec natura & ars in unum conspirantes, morbum tam periculosum solverint.

A 3

Satis superque igitur demonstratur laryngotomiæ necessitas in angina inflammatoria, vi intensissima laryngem urgente (A) & specialius his inhærere nihil juvaret.

HABEMUS nunc explanandam hujusce operationis beneficiorum extensionem, nequaquam enim animo fingendum illam, excepto uno morbo, ad alios omnes prorùs esse inutilem, tot periculis committitur homo, tam fragilis ipsius machina, ut functio cujus exercitium ad vitam sustinendam absolutè necessarium est, in quibusdam casibus ad stygias umbras eum demittere valeat, de deglutitione dico, seu de variorum corporum ex ore in ventriculum intromissione, ex his alia sunt mollia, majori minorive facilitate deglutuntur, solida alia, ut ossa, nummi aurei vel argentei, alteriusve speciei, in angusta viarum quandoque pertinaciter hærent, nec in stomachum detrudi, nullisque mediis viis naturalibus foras attrahi possunt, tum læditur respiratio ut patebit œsophagi situm, structuramque asperæ arteriæ posticam, in mentem revocando: nonne etenim istius expansio nimia, partem hujus musculosam comprimendo, suos diametros minuit, idcircoque respirationem reddit laboriosam, in his rerum angustiis, acerbus existit dolor impossibilis est deglutitio, febris & inflammatio adaugentur, in pejus ruit malum, vix spiritum trahit, & in summum discrimen adducitur ægrotus; non cunctandum si periculo eum expedire desideres; unicum datur, medium, tolle causam, non ultrà fas trepidandum, œsophagotomiam celebres, natura præsertim monstrante viam, maxima spes salutis affulget, artem experientia fecit & non semel feliciter successit hæc salutifera operatio, (B) quæ tamen uno temporis puncto

(A) Binard Chirurgus parisiensis trachæotomiam maximo cum successu instituit, angina inflammatoria pistorem suffocante. . vid. Verduc Chirurg. Edit. tert....

Nicol. Habicot. adeas Dissert. de bronchotomiâ..... Bauchot, tom. 4. act. Acad. Reg. Chirurg. pag. 507. Virgili... tom. prim. act. Acad. Reg. Chirurg. Georg Martin apud vuanvieten. comment. in aphor. boerha... tom. secund. pag. 626, eandem operationem eâ de causâ feliciter celebrarunt

(B) Gourfaut Acad. Reg. Chirurg. directoris ejusdem nominis, parens, Rouland Chirurgus militarius, œsophagum prosperè absciderunt ad extrahenda ossa, in hoc canale pertinaciter hærentia tom. tert. act. Acad. reg. Chirurg. pag. 14.

perfici non potest, itaque nedum manum operi admovet Chirurgus, pulmonis cerebrique infarctu pereat aeger, res postulat ut primum per fistulam pulmonalis incisionem, respirationis restituatur libertas. (A)

EAMDEM operationem exposcunt diversi tumores, linguæ, tonsillarum, uvulæ, epiglottidis, laryngis, transitum aeris per glottidem denegantes, medicamenta que vincentes, hanc verò contra doctissimorum virorum placita, noxiam vel saltem inutilem in aqua submersis, judicamus.

NEQUE hic immorandum, si quantum humanitati læsæ fert suppetias trachæotomia scire, sit animus, hæc enim operatio cum in vias aereas corpora extranea non solubilia, ut faba, (B) boleti frustum, (C) nummus aureus, (D) ossiculum (E) immittuntur, ægros morti arripere eosque sanitati reddere valet, in confesso est enim vero apud omnes prædictarum partium capacitatem, corporis externi præsentiam imminui, hinc irritatio, inflammatio, tussis vehemens & sicca, respirandi difficultas, sanguinis in pulmonibus, cerebro, aliisque visceribus ingurgitatio, brevi tempore recrudescunt accidentia, vasa

(A) Habicot asperæ arteriæ incisione ad vitam revocavit adolescentem neci proximum, propter nummos aureos, numero novem, in œsophagum per deglutitionis conatum spontè conglobatimque immisos, descensum aeris in pulmones impediētes. Hab. in dissertatione de bronchotomia typis mand. anno 1620.

(B) Ravius olim, vid. Heist. Chirurg. tom. secund. D. Petit Chirurgus jocosus, anno 1787, e trachæa arteria fabas faultè exciderunt.

(C) Boleti cocti frustum secundo successu extraxit Heisterus, Heist. Chirurg. tom. secund. pag. 674.

(D) Ad bronchotomiam celebrandam. Chirargos vocatos repetito sed vano Conamine nuper incitabat Dominus Iouis, celebri famâ, nullum per ævum periturâ, in orbe laudatus, ad extrahendum nummum aureum, post mortem, in viis aeris repertum.

(E) Legatur observatio, de ossiculo feliciter è fistula pulmonali extracto in tract. Chirurg. patholog. Verduc, quint. Ed. anno 1717. Dimidiam mandibulæ piscis partem, in tubum aereum pueri, duobus annis nati, introductam, faultissimo citoque eventu, res miranda, per bronchotomiæ operationem nuperrimè extraxit, Dominus Pelletan, scholarum moderator, omni cognitionum genere, & imprimis anatomix & Chirurgiæ scientiâ insignis.

sanguinea aëræve (A) rumpuntur, ac prohi dolor ! immeabili sanguine, pulmone infarcto, suffocatur circulatio & certus est ægrotantis interitus.

Quid igitur in his impendentibus periculis agendum superest, en paucis habe: generalibus remediis in quibus non nimis sperandum, prius incassum præstitis, non amplius ambigendum, urgente malo, urget auxilium, agoniam curandi ad agendum ne timidus contemplator expectes; omnibus ad operationem præparatis, aspera arteria, dispari modo, prout ad intromissionem aëris in pulmones, vel ad corporis extranei extractionem celebrabitur trachæotomia, est aperienda, in primo casu, membrana, tyroideam inter & cricoideam cartilagineam, media, scalpello est incidenda, in incisionemque cannula apta, immittenda, hancque mediantibus filis per annulos lateraliter inditos transmissis, stabilem & fixam efficies, cautè cavendo ne fistula pulmonalis parietes istius contactu lædantur irritentur ve; in secundo casu quatuor vel quinque circelli cartilaginei, pro re nata, excidendi sunt, tuncque aer per vulnus cum murmure transibit, & Chirurgus stupente, sæpè sæpius foras amandabitur nocivum corpus, hoc tamen si reconderet larynx, neque volselli, penicilli ve (B) rei accomodati ope, extrahi nec expelli posset, illius cartilagineas anteriores longitudinaliter secando, fidenter perficienda foret operatio quæ nullum post se trahit periculum grave (C); quibus peractis, respirationis reddetur libertas. remittentur & mox evanescent accidentia, adbibitisque fascitatione & situ debitis, vulneris labia ocius tardiùsve pro incisionis

(A) Et tunc per textam pulmonis cellulatam viam sibi aer, & emphysema in parte colli inferiore, ponè claviculas, nonnunquam exurgit ut primus annotavit D. jam laudatus Louis acad. reg. Chirurg. tom. iv.

(B) hoc ultimum medium non dubio successu nuper adhibuit sup. laud. D. Pelletan nosocomii Collegii nostri Chirurgus primarius.

(C) Hanc operationem prospero eventu celebravit D. Pelletan Scholæ Professor regius, iudicium cujus acutum improvisas placidè superat difficultates.

magnitudine, ægri temperamento ac cæteris conditionibus coalescent, breviq[ue] tempore vigebit fanitas. (A)

ERGO trachæotomiæ utilitas in malis supra dictis semper laudanda, faustissimis successibus magis ac magis in dies confirmabitur, ergo plurimis in morbis præstantissimum est Chirurgiæ subsidium bronchotomia.

HANC dissertationem, Deo juvante & Præside M. Petro Francisco Gallée, artium liberalium, & è Collegio Academiâ que Regiâ Parisiensi Chirurgiâ, Magistro, nec-non in alma Andegavensi universitate Doctore Medico, tueri conabitur Alexander Gay è villa franca, apud ruterus, oriundus, præclara artium facultatis in celeberrimâ universitate Parisiensi, Magister, nuper in Schola præctica Chirurgiæ alumnus, dissertationis auctor.

(A) Plura quæris? adeas dissertationes celeberrimi D. Louis in quibus non minus doctè quam fusè, examinantur quæ trachæotomiam spectant acad. reg. Chirurg. tom. iv. Domini Perilhe pro actu publico & magisterii laurea, propugn. in regiis Chirurg. scholis anno 1768, D. Louis præside, in qua altissima authoris eruditio, mirabile iudicium, jam prospiciebantur.

F I N I S.

... de rebus...

... in morbis...

... praestantissimum...

... sit chirurgiae subsidium...

... bronchotomia...

...